DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS ARTIFICUM,

PRÆCIPUE

EORUM QUI BIRMINGHAMIÆ HABITANT.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MORBIS ARTIFICUM,
PRÆCIPUE
EORUM QUI BIRMINGHAMIÆ HABITANT:
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES DARWALL,
Anglus;
COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.
NECNON SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS. EXTR.

Utile est scire unumquemque, quid et quando caveat.—Celsus *Praefat. ad Libr. 2.*

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MORBIS ARTIFICUM,
PRÆCIPUE
EORUM QUI BIRMINGHAMIÆ HABITANT.

AUCTORE JOANNE DARWALL.

Cum mundus adhuc novus et homines in terris rari fuerunt, illis vix aliud opus erat, quàm agricultura. Probabile est etiam morbos aeque ac artes paucos fuisse. Sed postquàm variae artes viros diviserunt, quamvis illae ad luxuriam vel commoda vitae conduxisse potuerint, morbi similiter plurimùm auxerunt. Modus enim vel operandi vel materies operis per se noxia, valetudinem adversam persaepe artificibus intulerunt. Mirabile autem inter investigationes scientiae benevolorumque animorum videtur, perpau-

cos mala artificum quaesivisse, perpaucissimos cognita levare conatos esse.

Mihi pro argumento sermonis, regia medica societas morbos artificum tribuit, et per aestatem anni MDCCCXX Birminghamiae habitans, officinas domusque illorum saepissimè visi, et de valetudine suâ ipsos interrogavi. Eo tempore quaedam de morbis artificum ipse collegi, quae non omnino narratione indigna mihi videbantur. Alia quoque Doctori BOOTH olim medicae societatis praesidi debeo, qui mihi saepe comitatus est et consilio adjuvit.

Quamvis artes tam multae sunt, ut vix enumerari possint, causae tamen valetudinis adversae ex illis orientis sunt rariores. Praecipuae harum videntur esse labor immodicus, conatus muscularis, positio corporis, lux sonitusve nimius, temperiei mutationes, irritatio pulveris lapidum vel aliarum particularum, et irritatio chemica.

LABOR IMMODICUS.

MALA, quae e labore immodico pendent, ut plurimum in liberis apparent. Hi ab inopia parentum, vel quod multo magis vituperandum est, ex avaritiâ magistrorum, longè juniores quam aequum est, ad laborem suscipiendum coguntur. Tres anni vix elapsi sunt, cùm Senatus Britanniae Magna de hoc considerârunt, et regni medicos principes sententias rogaverunt. Ex his ASTLEY COOPER chirurgus, solus ab experientiâ doctus, testimonium dedit. Fama vero illius viri et scientia benè agnita, nihil de veritate opinionis nos sinunt dubitare. "Effectus," inquit ille illustris, "et ex multis exemplis "cognovi, non tantum staturam diminu-"ere est, sed pravitatem etiam membrorum "producere."

Eodem tempore RICARDUS OWEN a "New Lanark," interrogatus est, et testimonium ejus ad idem propositum fuit.

Experientia mea, si aliquid de illâ dicere liceat, sententiam Cooper illustris summopere confirmat.

Birminghamiae asylum est, in quo liberi quadringenti habitant. Ætates horum a primo ad annum quartum decimum variant, nec ad laborandum ante septimam aetatem impelluntur. Eo tempore octo horas quotidie in multis operibus exercentur, unamque horam elementa doctrinae discunt. Paululum quidèm hoc, si cum labore hominum componas, attamen malum liberis infert, ex quo admodum raro, se recipiunt. Vigor et facilitas motuum prorsus amittuntur, et statura manifestê diminuitur. Genua etiam saepe intus inflexa et imbecillia fuerunt. Aliquos pueros scrutatus sum de aetate, qui mihi vix sextum annum attigisse videbantur, semper autem inveni multo annis, quam visu seniores. Post vero scrutationem in asylo, non paucos vidi, qui in illo olim habitaverant, et ne unum quidem procerum inter omnes observavi. Mihi ergo nihil falsi in sententiâ Cooper apparet, deformitatem elabore immodico oriri.

In hominibus maturis mala non minus certa sunt, etiamsi rariora. Aliquando in diligentibus patribus familiarum occurrunt, atque in dyspesia, demissione animi et imbecillitate consistunt.

Labor tamen non omnibus idem est immodicus, viri enim robore aeque ac facie magnoperè differunt. Modus autem adest, quem plurimi sequuntur, atque in officinis Britanniae Magnae, homines quotidie labori duodecim horas impendunt. Doctor BAILEY quidem ait, decem horas satis esse debere, sed factum, se ipso judice, omnes theorias vincit. Non rarum est, homines optimâ valetudine frui, cum plurimum laborant, quod accidere videtur, quòd eodem tempore mercedem majorem obtinent, et dehinc ratio vivendi illis melior est.

CONATUS MUSCULARIS.

Aliqui morbi e conatu musculari oriuntur. Horum hernia et aneurisma praecipui sunt. Vulnera quoque non pauca conatu vehementi producuntur.

His morbis pavimentorum structores, qui pondera praegravia evehunt, et omnes qui similia exercent, objiciuntur.

Sed e conatu minus vehementi, si diutius perduret interdum hernia provenit. Sic puerum novi, qui multum tornavit, in quo opere, saepissime musculi femorum abdominisque simul contrahuntur, herniâ affectum. Vitri conflatores etiam eodem morbo aliquando laborant; et cum recti abdominis musculi, infirmi sunt, inter eorum fibras hernia non raro apparet. Alii quoque casus eveniunt non paululum incommodi laesis inferentes. Talis est musculorum fibrarum laceratio, sine vulnere externo, quae saepe gastrocnemiis accidit. Sanatio plerumque longa est, atque membrum saepe

imbecillum usque ad mortem permanet. Infrequentiores sunt ossium fracturae, vulnera externa gravia etc. de quibus non necesse est, aliquid dicere.

POSITIO CORPORIS.

E POSITIONE corporis, morbis multis et frequentibus homines patent. Jam dudum optimè notum est, literarum studiosos morbis peculiaribus objectos esse, qui neque omnino, neque praecipuè quidem ab occupatione nimis continuâ originem ducunt. Artifices enim multi, quibus labores sunt aeque longi, iisdemque locis, simili valetudine adversâ non afficiuntur. Tales sunt aerarii ferrariique fabri etc. sed qui laborantes, eâdem positione corporis, quâ literarii, utuntur, similes morbi eos affligunt. Horum praecipuus dyspepsia videtur. Signa hujus morbi cognoscuntur, neque plurimis opus est. Illo affectorum animi infractio saepe maxime molesta, et prae aliis est notanda. Haec

similiter literatos artificesque affligit; haud raro autem dolor ventriculi ob pressuram isti organo factam, dyspepsiam comitatur. Minus saepe illis, frequentiùs his, ita morbus se habet. Dolor acutus est et praecipuè longus, nec unquam sanari potest, antequam occupationem aeger exercere cessaverit, unde exortus sit. Morbo sic variato textores, fibularum ex osse vel margaritis confectores, sutores, qui fibulas metallicas poliunt, etc, sunt obnoxii.

Ex eâdem causâ phthisis pulmonalis nascitur, et in iisdem fabris discernitur.

Alius effectus positionis corporis deformitas est, praesertim columnae vertebralis. Haec non infrequenter puellis accidit, quae multum in scribendo exercentur. Non necessariò hanc exercitationem sequitur, sed à sinistrum brachium subter tabulam tenendo oritur, dum illi dextrum imponitur. Hinc musculi rhomboidei relaxantur, humerus ejusdem lateris sursum fertur, et scapula sinistra prominet. Puerum quondam vidi, cujus quinque vel sex vertebrae dorsales non

semipollicem a scapulâ sinistrâ ex hac causâ distabant. Sanatio hujus deformitatis est laborandi modum corrigere, inclinando, quiescere et pro re natâ capiti pondera sustinere. Doctor MACARTNEY hanc deformitatem et curationem in Act. Reg. Societat. Lond. scitissimè exponit, atque sermonem ejus de hâc re, omnes decet perlegere. Haemorrhoides aliqui aiunt, e positione corporis esse; non tamen hoc certum est.

E pedibus insistendo, RAMAZZINI inquit, et sententia hodie communis est, varices provenire. Testimonium praecipuum, quo hoc sustentatur a mulieribus ducitur, quae vestimenta abluunt, et verum est, foeminas varicibus admodum obnoxias esse. Non tamen aeque manifestum est, morbum a positione quâ lavantes utuntur, illas premere. Si enim in pedibus sistere, huic varices producat, illum quoque similiter in pedibus sistentem eandem aegritudinem affligere oportet. Viri autem rarius quàm mulieres varices subeunt, tamen saepius atque diutius in pedibus sistentes laborant. Quae igitur ratio est,

cur foeminae saepius varicibus afficiuntur? Graviditas mihi quidem videtur, quam varices plus minusve ferè comitantur; et consuetudo poplites genualibus ligandi. Horum cogitationem illi omisisse apparent, qui causam varicum ad positionem referunt; nemo tamen negare potest, ea ad hanc rem plurimùm valere. Idcirco, varices inter morbos artificum non enumeravi.

LUX ET SONITUS.

De luce vel sonitu nimio, non necesse est, multum disserere. Oculorum caligo aut audiendi gravitas iis fabris contingunt, quorum opera, luce admodum fulgenti aut sonitu magno praesenti, conficiuntur.

TEMPERIEI MUTATIONES.

Temperiei mutationes morbos artificibus frequenter inferunt. In officinis quibusdam, necesse est, summum calorem conservare. Hinc fabris sudor magnus, et si prudentia absit, quae res saepissime occurrit, a frigore subita obstructio oritur, cúm officinas relinquunt. Morbi, quibus illi sic siti objiciuntur sunt prae omnibus rheumatismus, pneumonia vel pleuritis et catarrhus. Pneumonia infrequens est, et catarrhus hyeme quàm aestate infrequentior. Hoc accidere videtur, quia vestimenta hyeme calidiora sunt. Pistores, vitri conflatores, cerevisiae coctores et similes, valetudine ex adversâ causâ jam dictâ afficiuntur.

At morbus longe funestissimus e mutatione temperiei originem ducit. Hic phthisis pulmonalis est, et eas graviter affligit, quae modo Japonum aliqua ornant.

IRRITATIO MECHANICA.

Nunc de causâ artificum morborum, maximè dirâ tractandum est, nempe irritatione mechanicâ.

Ab irritatione mechanicâ, quasdam particulas per se innoxias intelligo, noxias tamen fieri, aut a quantitate earum aut quia parti praesertim excitabili corporis impinguntur. Fabrorum mores huic causae aegritudinis expositorum, sunt plerumque pravi. Opus vero ipsorum ad talem vitae rationem, incitamentum est. Sitim enim plurimum accendit, atque perpauci potus mites ad illam compescendam tam idoneos, quam spiritus vini et cerevisiam existimant.

Aër officinarum pulvere quam maxime oneratur, et non potest esse, quin fabri illum inspirent. Hoc in illorum officinis, qui acus vel enses acuunt, optime notum est; et mala ex eo orta, fabri ipsi jamdiu cognoverunt. Pulvis de lapide et ferro consistit et particulae minutissimae sunt. Si faciem

scruteris, vix aspectabiles, in illam micant, et intra nares multae accumulantur.

Morbus cui aër sic exasperans originem praebet est phthisis pulmonalis; et nisi aliqua acuta aegritudo fabros tales antea perdiderit, ab eâ omnes pereunt. Octodecim vel viginti annos, sine ullo valetudinis adversae signo, perstant laborare, quamvis pulverem in pulmonem necesse est continuò accumulari. Circa hoc tempus, cui pauci supervivunt, tussis incipit, et phthiseos indicia communia extemplò sequuntur. Morbum non citius oriri, mihi testimonium videtur, pulmones non valdè irritabiles esse, si enim facilè excitari possent, vita opificum etiam brevior esse deberet. Fabri sic affecti sunt, qui acus vel enses acuunt, qui tormentorum fistulas terunt, fibulas ex margaritis vel cornibus fabricant, ferrum vel aes abradunt, multique similes. Forsitan dubium videri possit, an pulvis re verâ pulmonem intret; sed quamvis in sectione cadaverum non invenitur (quod non oportet quidem expectare) hoc accidere multa mihi persua-

dent. Cum res de hoc argumento scrutarer, inter alias officinas, eam visi, quâ tormentorum fistulae teruntur, et me lapidi appropinquantem pulvis circumdedit. Incautè inspiravi, cum statim mihi tussis erat, quae per quatuor et viginti horas molesta fuit. Meum ergo pulmonem glottidis contractio spasmodica pulverem intrare prohibuit, non fabris vero haec occurrit. Ad glottidem idcirco pulverem acccdere manifestem est, et nisi rima glottidis claudatur, nihil impedit, quin bronchos ingrediatur, et si bronchos, cur non, etiam pulmones. E sectione cadaverum tamen, quaedam ad eandem sententiam adjiciuntur. Eorum pulmones, qui ferrum vel aes abradunt, tuberculas exhibent, et aeque ac bronchi morbo afficiuntur. Ægritudo etiam est, qualis ex causâ expectaremus. Non tussis, non vox rauca, non etiam dyspnoea semper primò est, sed ut inopinatè in interemptis ab aliis morbis inveni, pulmones ante noxam passi fuerunt, quam ullum signum morbi apparuisset. Ex eâ-

dem causâ, videlicet, irritatione mechanicâ, asthma et excoriatio faucium interdum oriuntur. Hi morbi maximè apud illos qui molas curant, cernuntur.

IRRITATIO CHEMICA.

Hujus sermonis, ultimum argumentum est irritatio chemica aut eorum morborum expositio, a materie noxiâ quâ fabri utuntur nascentium, aut effluviis ab opere vel aliter emissis. Haec eos comprehendit, qui a venenis metallicis, ceu hydrargyro, plumbo etc. qui ab effluviis putridis, ceu inter lanios, candelarum opifices, coriarios, atque ab aëre corrupto, Anglicè, "Fire damp," proveniunt.

E morbis, qui a venenis metallicis nascuntur, paralysis tremens, ab hydrargyro, notatu est dignissima. An hydrargyrus metallicus noxius sit, multi dubitaverunt, et quidam pondera magna impunè devorar-

unt. Orfila verùm Gallus celeberrimus multà de hac re disserens, tandem hanc statuit sententiam; videlicet, hydrargyrum metallicum minutè divisum maxime nocere.

Haec sunt quae Orfila scripsit.

" Le mercure métallique doit-il être con-
" sidérè comme un poison?"*** Il me semble
" que le mercure métallique agit comme poi-
" son toutes les fois, qu'il séjourne assez de
" temps dans le canal digestif pour eprou-
" ver un grand degré de division et pour
" être absorbé. On sait que l'humidité et
" la graisse sont susceptibles d'atténuer pro-
" digieusement les molécules de ce métal,
" an point qu'elles deviennent noires. Il
" ne'est donc point douteux que dans les
" trois premières observations rapportees"
(in quibus hydrargyrus metallicus signa propria morbi induxisset) " le mercure retenù
" dans le corps n'ait été divisè par les sucs
" de l'estomac et par la graisse avec laquelle
" il avait êtë mêlé dans la ceinture mercuri-
" élle. Dans cet état de division il a été ab-
" sorbé et son action vénéneuse s'est déve-

" lopée avec plus on moins d'énergie." *Orfile Toxocologie*, Tom. I. p. 120.

Signa hujus paralyseos trementis, capitis et membrorum tremores sunt, fere unum vel alterum latus praecipuè occupantes, cum dolore abdominis, dejectionibus paucis et insomniis et quodam post tempore imbecillitate animi.

Cum morbus aliquem capiat, tremor levis est et intervallis longis vel brevioribus occurrit. Primo manus aut brachium unum solum tremit et aeger instrumenta non potest retinere. Dehinc membrum inferius infirmum fit et postea morbus ad omnes partes corporis extenditur. Alvus fere constringitur, aliquando diarrhoea adest, et dolor abdominis saepissimè est violentus. Jam opifex non amplius laborare potest atque omnino imbecillis est. Mors haud frequentèr sequitur, sed vita tristitiâ et miseriâ plena per multos annos permanet. Spiritus vini vel cerevisia fortis pro tempore brevi artus firmant, sed postea, miserabile dictu morbus gravior recurrit.

Morbus nullus medicinae impotentiam magis ostendit, si enim medicamenta in initio omittantur, ars nihil commodi potest aegro afferre, quamvis nec tempus administrandi nec acies summa mentis medico desint.

Hominem vidi qui huncmorbum per quinque et viginti annos laboraverat atque prehendendi aliquid nulla ei erat potestas. Caput nunc hinc nunc illinc perpetuo jactabat, loquela a musculorum vocis spasmo interrupta et totum corpus continuô agitatum fuit. Ambulando multum titubavit, et cum pedem promoveret, in aëre aliquantulum vibravit, et tunc non raro iterum retraxit. Huic eventus improvisò accidens convulsiones auxit, et quandocunque mens depressa fuit, morbus ingravescebat. Cupiditas cibi, ut sanis, noctes quietae erant, et optime dormivit. Evacuationes voluntariae fuerunt et naturales.

Quamvis paralysis tremens morbus frequentior, qui ex hydrargyro nascitur, non tamen periculosior est. Aliquando omnia morbi indicia opifices occupant, quae pluri-

mi olim a syphilide oriri existimaverunt. Ulcera oris et faucium, caries ossium nasi cum salivae effusione copiosâ, fabros qui hydrargyro utuntur, interdum consumunt. Dentes etiamsi integri decidunt, propter gingivarum ulcera et processuum alveolorum absorptionem. Jam atrophia non raro aegrum invadit, "et summa macies oritur, et nisi "occurritur, tollit." Huic morbo medicamenta haud prosunt, nisi aegri prius officinas cessârit frequentare.

In officinis atque operibus, ubi plumbum usurpatur, morbi admodum diri opificibus accedunt.

Non multi anni jam elapsi sunt, cum Georgius Baker, Baronettus, sermonem de colico pictonum edidit. Pro causâ hujus morbi, vasa plumbea, in quibus succus e pomis expressus servatur, cognovit. Acidum malicum plumbum dissolvit et dehinc quicunque succum sic imbutum bibunt, dolores colicos acutos frequentèr subeunt. Quamvis autem plumbum in ventriculum receptum morbos excitat, non necesse est,

ut iidem effectus manifesti sint, metallum in alvum descendere.

Vapores per cutem aut pulmones pictores absorbent, atque eidem morbo cum illis qui succum pomorum bibunt, objiciuntur.

Signa colicae pictonum accuratissime a Doctore CULLEN describuntur.

"Colica pictonum, praeeunte ponderis vel "molestiae in abdomine praecipue circa um-"bilicum, sensu; accedente dolore colico, "primum levi, non continuo, et praecipue "post pastum, aucto; tandem graviore et "fere perpetuo, cum dolore brachiorum "et dorsi in paralysi demum abeunte."

In hâc descriptione verum notandum est, Doctorem CULLEN duos morbos amplecti, saepissimè quidem conjunctos, non raro etiam separatim occurentes. Dolor brachiorum et dorsi in paralysi demum abiens frequenter accidit, cum aeger nunquam colicam perpessus est, et saepe colica homines torquet, in mortem desinens, quos paralysis, nunquam afflixit. Aliqua hujus rei exempla ORFILA ab operibus VAN SWIETEN extraxit.

Actio plumbi in functiones animalium non semper eadem videtur. Plerumque aeger, cum jam signa acuta desinunt, marcescit, (aut membrum affectum solummodo,) atque imbecillis et sine convulsione permanet, sed Dr Percival in "The Edinburgh Medical and Surgical Journal," duo exempla commemoravit, quibus signa morbi, iis quae ab hydrargyro oriuntur, similia fuerunt. Orfila quoque unum exemplum dedit, in quo brachia maximè agitata sunt. Convulsiones tamen huic morbo raro accedunt. Colica pictonum aliquando longum tempus perduret, aliquando nisi medicamenta cito admoveantur, aegros brevi post tempore morti facit occumbere.

Allia metalla quamvis noxia, fabris morbos non saepe inferunt, aut quia non multum usurpantur, non facile absorberi possunt, aut vapores minimè emittuntur.

Nunc ad argumentum de effluviis putridis animalium venio. Auctores veteres medicinae, et plurimi etiam nuper effluvia putrida pro causa febrium typhoidearun agnos-

cunt. Ramazzini de hac re scriptor quidem celeberrimus, et recenter Dr Gosse, in "Quarterly Review of Foreign Medicine," hanc sententiam sustinent. Mihi tamen nomen magnum Ramazzini verenti, rem se aliter habere, multa persuadent, nec mihi solummodo, sed aliis viris, quorum fama et auctoritas inter medicos hodie est maximè clara. Inter hos Doctorem Rush, olim Philadelphiae medicinam exercentem, Doctorem Bancroft de febre flavâ scriptorem, in India Occidentali homines occupanti, et Gulielmum Lawrence quondam anatomiae demonstratorem in nosocomio Sancti Bartholomaei, enumerare licet.

Doctor Bancroft de hac re copiosê disseruit, et plurima exempla dedit, ubi putredo maxima affuit, neque febris neque alius morbus consecutus est.

Praecipuè erat notabile cum cadavera putrida a sepulchreto Sanct. Innocentium Parisiis removebantur. Aër putridis effluviis erat repletus, neque tamen illos qui circum habitabant neque eos qui in hoc opere ver-

sabantur, aliqua aegritudo afflixit. Ex hoc quoque aliud testimonium ad eandem rem adduci potest. Eo tempore substantia animalis inventa fuit, cui Galli nomen "adi-"pocire" imposuerunt et quae spermaceti adeo simulabat, ut amor lucri quosdam ejus fabricationem efficere induxit. Haec ad Conham, juxta Bristolium situm habuit, ubi foetor aëris admodum graveolentus fuit, neque illis opificibus ullum malum unquam occurrerat. Expeditionem militarem Dr Bancroft in Ægyptum comitatus est, atque illic effluvia putrida quotidie respiravit, neque ipsi tamen, neque militibus, qui cadavera tulerunt, aliquid fuit incommodi.

His sententia Gulielmi Lawrence, viri multum et merito celebris accedit. Per multos annos cadavera incidit, atque partes corporis humani tyronibus demonstravit. Sed neque ipse unquam valetudinem adversam ex hoc expertus est, neque tyrones putredine affectos esse unquam percepit. Exemplum autem notatu longe dignius est, familiae, quae per multos annos loca habitabat,

ubi corpora incisa fuerunt; nullis tamen erat melior salus aut magis diuturna.

Rei ejusdem candelarum opifices et coriarii testimonium praebent. Foetor nullis officinis quam illis major adest, pauci tamen valetudine meliore gaudent. Lanii quoque praesertim qui lanienas frequentant, nunquam morbis ex hoc subeunt. Quibusdam equidem cupiditas cibi augetur, et quando valetudo adversa eos occupat, cum inflammatione est, atque a victu nimio animali, cui indulgent, manifestè oritur.

E spiritu Anglice vocato "fire-damp" asphyxia provenit, et in quibusdam fodinis, olim saepissime accidit, rarior autem est, ubi lampas, quam Humphrey Davy, Baronettus, finxit, usurpatur.

His fortasse accedit cancer, qui mundatores caminorum invadit, causa verum hujus morbi adhuc obscura est.

Haec quae tam breviter memoravi praecipuae morborum causae sunt, quos occupationes opificibus induxerunt. Sed maximè dolendum est, has occupationes, quae adeo

sunt necessariae, non tantum per se, quantum per luxuriam et intemperantiam noxias esse.

Forsitan expectari possit, de curatione morborum quos artes inducunt, me disserere. Hoc verò ad consilium meum non pertinet, nec multum ratio sanandi differt quâcunque causâ hujusmodi morbus nascatur. Hoc quidem notandum, has causas excitantes, cum jam notae sunt, aegri removere debent, medicamenta enim nunquam possunt prodesse, utcunque fere utilia cùm illae continuo adsunt. Quamvis intemperantia quoque saepe morbos adauget, et rationem vivendi contrariam medicum decet praescribere, mutationem non subitam esse oportet. Optimè equidem Celsus admonet. "Cum quis mutari aliquid volet, "paulatim debet assuescere."

Jam nunc hunc sermonem ad finem perduxi. Multa, bene scio, omitti, et omnia imperfectè tractari. "Veniam tamen, penes "ingenuos professores praecipuè impetratu-

" rum me spero, dum satis perspectum est,
" non omnes artes in unâ civitate ac regione
" exercere" nec mihi tempus esse ut omnia
illa quae vidi, perscrutarer.

FINIS.